NONNULLA DE INFLAMMATIONE VESICAE DISSERTATIO INAUGURALIS…

Francesco Gazzoletti

NONNULLA
De Inflammatione Vesicae
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN VETUSTISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

PROPONIT

FRANCISCUS GAZZOLETTI

TYROLENSIS

A NACO

Patavii

TYPIS PENADA

MDCCCXL.

A

GIOVANNI . BATTISTA . ZANOTTI .

DA . RIVA .

MEDICO · CHIRVRGO .

DOTTISSIMO · MERITISSIMO ·

· QVESTO · TENVE · LAVORO ·

COME · TRIBVTO · DI · REVERENZA ·

E · DI · GRATITVDINE ·

OFFRE . L'AVTORE .

DOLENTE · DI · NON · POTERE · A · PIV · SALDO ·

MONVMENTO .

RACCOMANDARE · IL · VENERATO · NOME ·

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed officium . . . .

Ovidius.

PROOEMIUM.

Etsi innumera sint, et gravissima doctissimorum omnis aevi et experientissimorum virorum merita, qui solertia et assiduitate, studio ingeniique acumine tum ipsam artem medicam, tum, quae ei affines sunt, disciplinas in dies adauxerint et excoluerint, magnusque numerus sit eorum quae quotidie accedant vel inventa, vel emendata; multum tamen restat operis, quod neque leve est, neque utilitate prorsus caret, cui tamen ad hanc usque diem defuerunt, qui apte explicarent, recteque perficerent. Quae quum ita sint, facile omnino videtur esse, materiem sibi eligere ad libellum Accademicum conscribendum aptissimam. At vero videtur tantummodo. Ubi enim propius accedere ad rem placet, haud paucae sunt, neque exiguae, quae tyroni sese

offerunt difficultates. Ecquis enim est, qui sine aliqua arrogantiae, et immodestiae nota judicium usurpare audebit in rebus, de quibus inter se litigant proceres, principesque reipublicae litterariae? Quod cum a me, dum ad opus conscribendum accingerer, mox intellectum esset, persuasi mihi, istiusmodi laborem cum propter experientiae defectum, tum propter virium ingeniique tenuitatem a me perfici non posse. Quam ob rem et quoniam leges jubent a quocumque, qui finitis Academicis studiis summos in Medicina honores capessere velit, eruditionis suae qualecumque specimen edi debere, publiceque contra dissentientes defendi, de Cystitide scriptionis argumentum eligi. Sed cum de hac quoque materia multi jam ante me iique doctissimi scripserint viri et disputaverint, non sine aliqua anxietate, et metu primum hoc eruditionis meae specimen lectoribus trado eruditis et benevolis, simulque eos rogo, velint iis, quae neque recte, neque perfecte a me disputata fuerint, benigne indulgere, et aequum ferre de me, meoque labore judicium.

DEFINITIO ET DIVISIO MORBI.

Cystitis est vesicae urinariae inflammatio, quae ex gravissimo persaepe hypogastricae regionis, vel pelvis dolore, magnoque mingendi desiderio, ac inutili saepenumero, molestoque conatu, ex interiori exurente ad vesicae collum ardore, ex tumore ad pubem plus minusve cedente, et quam frequentissime irrequieto stimulo vomitionum, quibus omnibus febris adjicitur acuta, cognoscitur.

Cystitis proprie dicta juxta insignem eamdemque simplicem divisionem auctoris celeberrimi Chopart, distinguitur in acutam, et chronicam.

Cystitidis Symptomatologia.

Potissima symptomata generatim sunt: febris; fixus, continuus, exurens, pungens, lancinans ad hypogastrii, vel perinaei regionem dolor, qui attactum quidem nullum tollerare potest; simulque durities, et distensio major; gravis in urinae secretione ardor assiduo cum dolore in medio pro-

feruntur; accedit tenesmus, et continuus mingendi pruritus, sed quanquam omnia tentamina adhibeantur, urinae per se expelli non possunt. Ubi maxime acutus sit morbus, urinae omnino supprimuntur, tunc vesica insigniter distensa extollitur supra pubem cum tumore ovali.

Ætiologica ratio.

Procatharcticae, vel occasionales causae possunt esse ad gignendam cystitidem aptae. Ad procatharcticas pertinet temperamentum sthenicum, sanguineum, habitus corporis athleticus, anni pars aestiva, aetas virilis, et ipse sexus, cum hic morbus magis viros, quam foeminas invadat. Ex occasionalibus multae numerantur. Gignitur inflammatio a difficilis partus labore, forcipe ruditer admoto, a vulneribus, a contusionibus, a vehementibus ac diuturnis compressionibus, a cystotomia, a praesentia materiarum, injectionum irritantium, calculorum angulis, scabritie, volumine, ac magnitudine eminentium. Potest esse causa cystitidis abusus liquorum spirituosorum, diureticorum irritantium usus, refrigeratio, suppressio haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum, blennorrhagiae, arthritidis, rheumatalgiae, scabiei, aliarumque cutanearum eruptionum.

Morbi decursus, et exitus.

Decursus a septem diebus usque ad quattuordecim plerumque est. Exitus possunt esse varii.

Resolutio. Cystitis acuta interdum in valetudinem abit mucosas et puriformes urinas secernendo, aut uberiorem sudorem vaporum plenum emanando, et saepius etiam haemorrhoidibus fluentibus. Est fortunatissimus exitus, qui locum habet, ubi inflammatoria symptomata paullatim imminuunt.

Suppuratio. Non est exitus hicce frequentior. Potest pus colligi vel in vesicae cavitate, vel in abdomine, vel in pelvi juxta sedem ejusdem inflammationis. In primo casu pus faciliter ad vasis fundum labitur, nec cum urina ipsa miscetur, atque phthisis, aut consumptionis vesicae genesis cognoscitur, aut raro cum ipso chronico vesicae catarrho confunditur. In secundo gangrena lethalis facillime insurgit; in tertio suppuratio propinquas rodit partes, prostatam nempe, vesiculas seminales, uterique cervicem, et praecipue intestinum rectum, et vaginam, unde fistulae variae speciei.

Gangrena. Infelicissimus exitus, et paucis diebus mortem inducens; desunt siquidem de repente dolores, vitaliumque virium subito prodit de-

bilitas, insuperabilis virium suppressio, summa tumiditas vesicae quasi paralyticae, ac sese fere rumpentis.

Durities, et urinariae vesicae callositates, praesertim in ejus cervice, recidivas ac lentas phlogoses pariunt.

Spasmus. Ille etiam alter exitus habetur, contractio vesicae, et induramentum quoddam, quod perseverat etiam tum, cum inflammatio sublata esse videatur, unde fit, ut illa urinae incontinentia sequatur.

Necroscopia.

Cum cadavera eorum, qui cystitide perierunt, secamus, paucas, et foetidas urinas invenimus, varias mucositates in diversa quantitate, quae semper ad pus propinquant. Si morbus mitis et brevis fuit, observatur membrana mucosa vesicalis hic illic rubra, non solum ad fundum et juxta collum, sed saepius in pariete posteriori et superiori. Major autem est color vivide ruber membranae, si morbus gravior fuerit, et ipsa quodam liquido viscoso contecta apparet. Generatim cuicumque exitui quaecumque perturbatio respondet. Si exitus in gangrenam transit, membranae hujus aliquae portiones verae, et molles in foetidam pulpam conversae, et aliquando perforatae sunt:

si induramentum successit, tunc auctae sunt membranae. Cadaverum necroscopia, ubi chronica fuit vesicalis inflammatio, fere semper in membrana mucosa aliquas maculas concolores manifestat, quae difficillime cerni possunt, nisi vesica a circumstantibus partibus separetur; praeterea haec membrana densa apparet, aliquas cryptas mucosas facile exhibet, quibusdam locis subfusca, quibusdam aliis ruberrima est, vasis sanguineis dilatatis, quae varium adspectum simulant; membrana muscularis majus augmentum contraxisse videtur, et paries, quem ipsa efficit simul cum mucosa, et serosa, majorem solito densitatem offert. Quibusdam in casibus membrana mucosa vesicalis omnino destructa fuit.

Prognosis.

Prognosis deduci debet. 1. Ex qualitate individui affecti, et praecipue ex ejus aetate, quae si longe provecta sit, et concomitata cum cystitide ad induramentum vergente, in pronunciando judicio maxime cautum esse medicum oportet. 2. Ex anni tempestate, qua morbus erumpit. 3. Ex causa quae ad generandam phlogosim concurrit. 4. Ex morbis praegressis. 5. Ex symptomatibus plus minusve gravibus, quae in vario decursu prodeunt. Cystitis ex. gr. quae cito decurrit, maxime peri-

culosa habenda est; facile enim lethalis fit ob gangrenam, lacerationem, aut paralysim vesicae, sive uretherum, propter urinas compressas, et ob earumdem absorptionem, et febrem putrido-nervosam inde consequentem. Totalis urinae suppressio, et sopor in symptomatibus praesertim periculosis habentur. Cystitis chronica, ut superius dixi, transit in induramentum, in serositatem membranarum vesicae, et saepius degenerationes cancerosas importat. Habenda ratio est in prognosi etiam ad primariam inflammationis sedem. Ita phlogosis gravior erit, si imum vesicae fundum et organi summitatem invadat, quam si alia loca afficiat. In imo fundo posterius tumor phlogisticus uretherum orificia, et anterius urethrae orificium obturarae potest; quod frequentius, et periculosius accidit.

Phlogosis, quae partem superiorem invadit, in aliquo casu ad peritonaeum extenditur, et sic peritonitidis symptomata adjungit.

Vesicae inflammatio ex refrigeratione, si a principio per convenientem methodum curetur, facilius resolvitur, difficilius autem si cystitis orta fuerit ex fluxus haemorrhoidalis suppressione, aut ex arthritide; difficillime, si ex calculis processerit, qui nisi ope chirurgica extrahantur, decursum phlogosis chronicum faciunt, multasque et graves molestias afferunt.

Methodus Therapeutica

Medela plus minusve antiphlogistica esse debet, ratione habita individualitatis aegrotantis, aliarumque circumstantiarum, quae morbi naturam pro parte mutare valent. Cum sanguinis missio praescribatur, et ubi opus sit repeti debere, ad perinaeum, vel ad anum hirudines adplicabuntur; venae sectiones, potiones emollientes necessariae sunt, diluentia, ac emulsiones, fomenta, cataplasmata emollientia, tepidiora balnea, semicupia, clysmata laxantia, oleum paucis dosibus adhibitum; frigida vero fomenta tantum morbo ineunte apta sunt, atque opportuna. Cum cystitis a causa traumatica violenta originem ducit, leves etiam injectiones evitari debent; si vero phlogosis spasmum dein producat, utilis erit cautior opii usus, ac pro internis remediis gummi arabici, seminum lini, papaveris emulsa utilia erunt. Si urinae retentio in cystitide methodo, prout res expetit, antiphlogisticae adhibitae resistet, sique vesica maxime urinae plena abdominis tumiditatem offerat, tum nil aptius, quam syringa elastica oleo illinita, leviterque introducta. Si forte obstaculum pervicax ob summam cervicis vesicae inflammatae contractionem in catetheris introductione inveniatur, et eodem tempore ingentes dolores producantur ab

actione mechanica catetheris, tum is dereliquendus est, et statim ad vesicae punctionem confugiendum est, cui quatuor viae nempe anus, vagina, perinaeum, et hypogastrium patent. Plerumque haec operatio infaustum habet exitum non propter operationis damna, sed propter vescicae statum, in quo talis operatio indicatur.

Hasce causas omnes, aliasque pene innumeras, ne multa adderem, silentio praeteritas, quilibet evitare studeat, easque removere, ut majora effugiantur detrimenta. Animadvertat saepius, urinam emittendam extremam usque ad guttam, primisque stimulis satisfaciendum: aliter enim vesicae paralysi, et cystitidi obviam iret, et calculis etiam, qui ex concrescentibus principiis, quibus urina constat, in eo viscere sedentibus, coalescunt; caveat a diuturno vesicae tenesmo, a nimio ad mingendum nisu, ex quo crassitudo, et gravior prostatae durities initium ducit, idque forsitan ob humorum ad hasce partes affluentiam evenit; tum cavendum ne frequentius mingat, neve de hoc morem sibi comparet: tunc enim vesica sese corrugat, et saepius membranae crassiores evadunt.

Generatim inertia fugienda est, nimiusque labor, vita deses, turpis onania, frequens ac immodica veneris cupiditas, et nimia etiam continentia, abusus quoque incitantium liquorum, et caveat quisque spermatis sub venere ejaculationem impedire. Quae

omnia si fiant, faciles nimium iteratique vesicae morbi, et valde molesta symptomata, quae consequi illos solent, debellabuntur.

Haec ea fere sunt, quae de proposito argumento disputanda mihi proposueram, et ad finem, egregii professores, mea jam pervenit oratio, et ego post multos exantlatos labores meorum tandem explevi curriculum studiorum. Nunc in vastissimo ac perdifficili Jatro-Chirurgiae campo expatiandum mihi est. Atque utinam vestris, ut potero, vestigiis inhaerens pro maxima vestri nominis celebritate, et pro vestrae luce doctrinae usque quaque diffusa, aliquod et ego ab Ausonia Pallade consequi decus possim!

THESES DEFENDENDÆ

I. *Per quae vivimus et sani sumus, per ea etiam aegrotamus.*

II. *E vita mors, e morte vita prodit.*

III. *Omne medicamentum non juvans damnosum.*

IV. *Amicus medicus optimus medicus.*

V. *Morbi omnes primo locales sunt.*

VI. *Lac omnium fere alimentorum est praestantissimum.*

VII. *Qui multum edere optat, parum comedat.*

VIII. *Fletus infantibus utilis evadit.*

IX. *Eadem morbi forma opposita remedia aliquando desiderat.*

X. *Conamen medicorum specifica exquirendi hujus aevi dedecus.*

XI. *Nec dentitio, nec senectus ad morbos pertinent.*

XII. *Sine historia omnis medicina vana.*